



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 3. Industriæ piæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

Qui acervat injustè, aliis congregat; & in bonis illius alius luxuriabitur. *ibid. v. 4.*

149. *Contra Invidiam.* I. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum (benefaciendo his vel illis) inquit Christus *Matth. 20. v. 25.* II. Invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. *Sap. 2. v. ult.* III. Putredo of- fsum invidia. *Prov. 14. v. 30.* IV. Væ illis, qui in viam Cain (fratri suo divinam gratiam invidentis) abierunt. *Epist. Judæ v. II.* V. Ubi Zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum. *Jacob. 3.*

150. *Contra Iram.* I. Omnis qui irascitur fratri (seu proximo) suo, reus est Judicio. *Matth. 5. v. 22.* II. Zelus & iracundia minuunt dies (vitæ) & ante tempus senectutem adducunt cogitatus (iracundi) *Eccl. 30. v. 26.* III. Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit. *Eccl. 7.* IV. Relinque (dimitte) proximo tuo nocenti te; & tunc deprecanti tibi peccata solventur. *Eccl. 28. v. 2.* ubi de hac re plura.

151. *Contra Luxuriam.* I. Qui talia agunt, regnum DEI non consequentur. *Gal. 5. v. 21.* II. Corpora vestra membra sunt Christi; tollens ergo membrum Christi faciam membrum meretricis? membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti; & non estis vestri. *1. Cor. 6. v. 19.* III. Pars illorum (Luxuriosorum) erit in stagno, ardentis igne & sulphure; quod est mors secunda. *Apoc. 21. v. 7.* IV. Ignis est Luxuria usque ad perditionem devorans, & eradicans omnia gemina. *Job. 31. v. 12.* V. Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem. *Gal. 6. v. 8.*

Corruptionem scilicet in corpore, animâ, famâ, & fortunâ.

152. *Contra Gulam.* I. Omnis labor hominis in ore ejus, sed anima ejus non implebitur bonis. *Eccl. 6.* II. Quorum Deus venter est, gloria in confusione ipsorum. *Philip. 3.* III. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam. *Eccl. 27.* IV. Ebrietatis animositas (est) imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera. *Eccl. 31. v. 40.*

153. *Contra Acediam.* I. Omnis piger semper in egestate est. *Prov. 21. v. 5.* II. Multam malitiam docebit otiositas. *Eccl. 33. v. 29.* III. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter (per negligentiam aliquid subtrahendo) *Jerem. 48. v. 10.* IV. Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth. 11. v. 12.* V. Qui timent pruinam, irruet super eos nix. *Job. 5. v. 16.* VI. Omnem palmitem, in me non fereventem fructum, tollent eum. *Joan. 15. v. 2.* & in ignem mittent, & ardet. *v. 6.* VII. Inutilem servum ejcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. *Matth. 25. v. 30.*

§. III. Industria piæ.

154. Multas, eâsque valde utiles passim exhibent Magistri vitæ spiritualis. Sed sicut non omnes eadem medicamenta juvant contra eosdem morbos corporis; ita nec omnibus contra eosdem morbos animi profunt eadem industria.

Frequens Communio.

Et verò præstantissima omnium est frequens Communio. Nam juxta effatum

tum S. Mariæ Magdalenzæ de Pazzis, & communem SS. PP. sensum, vel unam tantum Communio bene facta sufficit ad animam faciendam perfectam; nihilominus tamen cum admiratione videmus & dolemus, plurimos post Panem vitæ frequenter sumptum adhuc spiritualiter mori, vel graviter ægrotare; & post comestum multoties Agnum DEI adhuc cum lupis ululare. Nempe, qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. 1. Cor. II. v. 29. Indignè autem (quod bene notandum) manducat & bibit non tantum ille, qui velut Judas cum peccato mortali sumit; sed etiam quivis alius, *Qui*, ut loquitur S. Bonaventura, *tepidè, indevotè, & inconsideratè sumit*, absque debita præparatione, & maximè si peccet in ipsa sumptione saltem venialiter, vel habeat vigentem affectum ad peccatum aliquod veniale. Et sanè multi graves Doctores apud Tan. Tom. 4. *Disp. 5. q. 8. n. 57. & 58.* quamvis contra communem, volunt virtutem, fructum & effectum SS. Evcharistiæ, seu augmentum gratiæ sanctificantis propterea omnino impediri. Satis autem certum est, ratione Communionis tam indecenter peractæ, sicut ex opere operantis, ita & ex opere operato non magnum augmentum gratiæ percipi; cum Sacramenta, sicut causæ naturales, plus vel minus operentur pro majore vel minore dispositione subjecti. Quidquid jam sit de hac Quæstione; an ita communicare sit peccatum veniale; de quo vide *l. 1. p. 3. n. 315.* Adde, per primum peccatum mortale, à quo multi secularium, præsertim sacra irreverenter tractantium non dirabstinent, statim iterum paulò antè acquisi-

tam gratiam sanctificantem amitti unicum omnibus auxiliis actualibus, quibus ad meliorem vitam excitari, & adjuvari poruissent, & debuissent. Imò eos, qui frequenter communicant, & identidem per peccata mortalia ex gratia excidunt, valde credibile est, inquit Tan. *l. c. n. 60.* malè dispositos, adeoque indignè communicare, & nullum fructum reportare. Vide Nicol. Lancium *tom. 2. opusc. 14. cap. 13.* Hinc ergo est, quodd, etsi SS. Evcharistiæ sumamus, adhuc tamen, ut S. Paulus *l. c.* dolendo scribit, *inter nos multi sunt infirmi ad declinandum à malo; multi imbecilles ad faciendum bonum, & dormians multi somnum mortis, etiam corporalis, ante tempus inflictæ, in pœnam indignæ sumptionis.*

Frequens Confessio.

155. Confessio frequens plurimum prodest ad sanandos etiam inveteratos animi morbos; sed ad hoc requiritur imprimis, ut pœnitens faciat eam constanter apud unum; quia variatio Confessariorum, ut Medicorum, plerumque est ægris dannosa. Deinde ut eam apud unum faciat libenter; quia alioqui timendum est, ne si invitus sit, quandoque faciat sacrilegè. Certè etiam illi, qui per directionem ordinarii sui Confessarii jam bene profecerunt in extirpatione alicujus vitii, si postea fortè iterum circa id delinquant gravius, non rarè valde horrent, se de illo apud eum accusare. Ut proinde Confessarius, sicut neminem, qui vult ipsi confiteri, facile debet à se repellere; ita etiam neminem, qui non sponte sua venit, debeat facile ad se atrahere. Multò minùs debet unquam

vel minimo indicio ostendere, se ægrè ferre, quòd illi, qui ipsi ordinariè confiteri solent, interdum alicui alteri confiteantur. Imò expedit, quandoque per suam absentiam, exoblata veletiam quæ sita causa factam, præbere suis pœnitentibus occasionem alteri confitendi. Porro quòd frequens Confessio apud unam sponte & constanter facta multùm conducit ad emendationem, inter alias causas est etiam hæc non minima, quòd Confessarius ita meliùs statum pœnitentis agnoscere, aptiora remedia, & singulares industrias, quas hinc inquirimus, præscribere, earumque usum urgere queat. Vide lib. 1. p. 1. n. 116. & seqq.

Alia pro capacioribus.

356. Examen Conscientiæ, quod vocamus generale: præcipuè autem Examen alterum, quod particulare dicitur, & sup. lib. 1. cap. 4. n. 33. & 34. cum sua forma & praxi explicatum est, habet quidem vim profus singularem ad corrigendos hominum mores; sed itidem ad neutrius perfectum constantemque usum faciliè ex secularibus adduci possunt alii, quàm qui sunt magis capaces, & minùs occupati; posterius quoque nemo ritè peraget, nisi si admodum perfectionis Christianæ studiosus.

Vivace apprehensione meminisse DEI præsentis, Christi patientis, Angeli deterrentis, diaboli allicientis: Item habere in mente & oculis imminentem horam mortis, irrevocabilem strictissimi Judicii sententiam, parata peccantibus inferni supplicia, promissa vincantibus æterna cœli gaudia &c. sufficere possunt singula ad lapides quoque, & non tan-

tùm ad homines permovendos. Sed quomodo vera & viva horum imago poterit cujusvis capiti & memoriæ imprimi? Experiuntur Spiritualis vitæ Magistri, Religiosorum quoque nonnullos multis meditationibus usque longo vix assequi tandem, ut hujusmodi exercitia cum fructu & sine damno obire valeant. Debent autem tales industriae Confessariis esse notæ, quæ communiter ab omnibus etiam minùs capacibus possunt sine magna difficultate utiliter observari. Eæ igitur videntur esse posse sequentes, aut similes.

Alia pro minùs capacibus.

157. I. Ante omnia induendus est pœnitens, ut manè post somnum, & noctu ante cubitum assuescat DEO, vel Sanctis per orationem devotè se commendare. Plerumque enim peccatores, & qui maxime cura spirituali indigent, sicut tota die vivunt ut bestia, ita etiam manè surgunt, & vesperi incumbunt ut bestia, immemores DEI, & sui. Utile foret talibus etiam pro pœnitentia injungi, ut per aliquod tempus quotidie manè & vesperi recitent unum, duo, vel tria Pater, & Ave.

II. Pœnitens assuescat in hebdomade aliquoties, & paulatim quotidie semel facere, vel sæpiùs bonum aliquod opus ad hunc finem, ut DEUS gratiam, ac robur ipsi largiatur, vitium illud, cui se obnoxium agnoscit, extirpandi. Sufficit autem, si ejusmodi opus bonum sit unum ex illis, quæ pœnitens jam per se vel solet, vel facillimè potest facere, uti est v. g. actus unus Patientiæ, Humilitatis, Obedientiæ, Charitatis, & maxime

Misericordiæ dando saltem parvam elemosynam, vel, si ipse inops sit, compatiendo, & bene volendo pauperibus. Certè S. Ambros. relatus *Can. 76. Dist. 1. de Pœnit.* Medicina misericordiæ, inquit, tollit magna peccata; intellige, non tantùm satisfaciendo pro commissis, sed etiam præservando à committendis; quia ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. *Tob. 4. v. 11.* facitque invenire misericordiam & vitam æternam. *Tob. 12. v. 9.*

158. III. Quotidie manè, vel cùm surgit, vel cùm Missam audit, seriò statuat, quòd illa die velit ab hoc vel illo consueto suo vitio abstinere, simulque per unam vel alteram orationem Dominicam & Angelicam petat sibi à DEO, & Christo nato, passo &c. (prout fert ratio temporis) concedi; vel à B. V. aut Sanctis (prout Festa currunt) impetrari gratiam, suum illud propositum perfectè adimplendi. Postquam autem hujus industriæ aliquem usum & facilitatem comparavit, assuescat deinde etiam vespere ante cubitum se saltem parùm reflectere videndo, an & quomodo suum propositum per diem illum servaverit. Et si invenit, se illud transgressum fuisse, doleat, & percutiens pectus cum pio suspirio dicat, v. g. *Miserere mei, ó bone DEUS! vel Domine DEUS! esto mihi misero peccatori propitius.* Si non meminit alicujus transgressionis, agat DEO, vel Sanctis gratias, dicendo v. g. *Benedictus DEUS! Laus DEO! Gloria Patri &c. DEO & Sancto N. sit honor, & gloria.*

IV. Pœnitens assuescat, ut, cùm adventit se peccasse, vel tunc statim, vel

saltem illo adhuc die doleat, & studeat postea data occasione aliquem internum vel externum actum virtutis, illi peccato contrariæ elicere; v. g. Si DEUM aut Sacramentum blasphemavit; deinde in honorem & laudem aliquid oret, adico templo adoret Venerabile Sacramentum &c. Si proximum contempserit, odio habuit, ei maledixit, invidit, &c. tunc postea eidem honorem aliquem & charitatem exhibeat, bonum aliquid ipsi optet, vel conferat &c. Si in potu excessit, postea sibi aliquando in siti potum neget &c. Sicut enim Medici calida frigidis, & frigida calidis; ita etiam pœnitens sua vitia per contrarias virtutes optimè curabit. Vide *sup. n. 119. v. Periculum.* Quod si autem pœnitens ita paulatim juxta hunc & præced. num. procedat, fieri fortè poterit, ut tandem Examen quoque generale, vel etiam particulare in plena & integra forma sua peragere magno suo bono addiscat.

159. V. Pœnitens seriò statuat, quod si aliquo die hoc vel illud peccatum commiserit, velit id ipse in se vindicare, sibi que certam pœnam irremissibiliter infligere, contra se ipsum pro DEI gloria pugnans. Pœnam ejusmodi præstat, ut ipse pœnitens determinet; quia tunc certius exequetur. Si autem ipse nullam excogitare possit, suggerat Confessarius plures, ex quibus unam eligat, v. g. osculari terram, expansis brachiis orare aliquot Pater & Ave, abstinere ab uno ferculo, vel ejus meliore parte in mensa; ab haustu, si quem extra mensam solet facere; ab aliqua recreatione; jejunare die Veneris vel Sabbati, confiteri & communicare proximam Dominica vel Festo, ite-

peregrinatum ad aliquod vicinum facellum, ibique recitare Litanias, Rosarium, vel ejus partem &c. Aliquibus proponi poterit, ut dent eleemosynam, gestent aliquamdiu cilicium, legant per unum vel alterum quadrantem aliquid ex libro spiritali &c. Vide Reginald. l. 2. m. 104.

160. VI. Pœnitens faciat votum aliquod, quo nimirum promittat DEO, in honorem hujus, vel illius Mysterii, aut Sancti se per unum aut plures dies hoc vel illud peccatum voluntariè & deliberatè non commissurum. Ejusmodi tamen votum non est facilè suadendum, aut permittendum, nisi circa illa peccata, quæ pœnitens non quovis die, vel certè uno die, non nisi semel, aut bis committere solitus est. Nam in aliis peccatis, quæ ex inveterata consuetudine uno die multoties fiunt, est nimis magnum periculum violandi voti.

Memoria Novissimorum.

161. VII. Assuescat in omnibus operibus suis memorari Novissima sua, & in æternum non peccabit. *Eccl. 7. v. ult.* Quilibet autem cum modica difficultate assuescet meminisse, & quidem non merè speculativè (quod parùm juvat) sed practicè, si ab initio per aliquot paucos dies, deinde per plures, & tandem quovis die semel, vel sæpiùs mente vel ore attentè recolat unam aliquam de Novissimis sententiolam, eamque practicam, vel saltem unacum inde deducta aliqua practica conclusione. Pro exemplò:

De Morte. Quâ hora non putatis, filius hominis veniet. *Luc. 12. v. 41.* per mortem, ergo quavis die & hora vigilare, & parat us esse debeo. Vel: Mors

peccatorum pessima, *Psf. 33. v. 22.* & miserissima est; ergo ut mea sit felicior, cavere ab his, & his debeo peccatis. Vel: qualis vita, finis ita; sicut quale semen, talis messis; si ergo vitam non vivo piam & bonam, ô qualis erit meus finis? vide Thom. Kemp. *de imit. lib. 1. cap. 23.* Ad practicam Mortis memoriam valde apti sunt etiam hi versiculi Germanici;

Ich leb/wais aber nit wie lang;
Ich stirb/wais aber auch nit wann;
Ich fahr/wais wider nit wohin;
Wie kommts/das ich nit frömer bin.

Latine sic reddere possumus:

Quam diu vivam, nescio;
Nec mortis horam præscio;
Vado, sed quò? non video;
Mirum! quòd me non corrigo.

162. *De Judicio.* Cuncta, quæ sunt, adducet DEUS in Judicium, *Eccl. 12. v. ult.* ergo cum etiam hæc, & hæc mea dicta, facta, & concupita adduxerit, quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus, cum vix justus sit securus? Vel: omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum, *2. Cor. 5. v. 10.* ergo etiam me & omnia mea manifestari oportet; sed ô quid referam? cur jam hinc coram Confessariis oculo? vel: si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt? *1. Petri. 4. v. 18.* Itaque Creatori meo commendare debeo animam meam in benefactis, *v. 19.* Vide Thom. Kemp. *de imit. lib. 1. cap. 24. v. 1. 5. & 7.*

163. *De Inferno.* Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habita-

habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *Isaie 33. v. 14.* Vel: Momentaneum, quod delectat; æternum, quod cruciat. Elige! An ergo per momentum delectari vis in mundo, & æternum cruciari in inferno? vel, si nunc tam parùm vales sustinere; quo modo æterna tormenta poteris sufferre, ac sustinere? Thom. Kemp. *de Imit. Christi, l. 1. cap. 24. n. 6.* vide etiam n. 3. & 4.

164. *De Gloria Cælesti.* Quærite primum Regnum DEI & Justitiam ejus, & hæc omnia (vitæ temporali necessaria) adjicientur vobis. *Matth. 6. v. 33.* hunc ergo ordinem si perverto, lucrum non facio, sed impedio. Vel: simile est Regnum cælorum thesauro abscondito, & pretiosæ margaritæ. *Matth. 13. v. 45. & 46.* sapiens ergo mercator vendit omnia, quæ habet, & emit. Quanta autem ego facio? vel: Hæc (paupertatem, contemptum, dolores, persecutiones &c.) oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. *Luc. 24. v. 26.* An non ergo oportet & me aliquid pati, ut intrem in gloriam DEI? Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam. *Rom. 8. v. 18.* vide Thom. Kemp. *de imit. lib. 3. cap. 47. & 57. n. 4.*

Præsentia DEI, & Angeli Custodis.

165. Simili modo etiam quilibet ex plebe poterit paulatim sine magna difficultate & periculo capitis addiscere exercitium Præsentia DEI, Angeli Custodis &c. si nimirum assuescat, unam aliquam sententiam secum subinde recollere, & de ejusdem veritate practicum fidei actum elicere, v. g. DEUS est immensus, *Baruch. 3. v. 25.* cælum, ac ter-

ram implet. *Jerem. 23. v. 24.* ergo etiam verè Dominus est in loco isto, *Gen. 28. v. 16.* & quidem non tantùm per Potentiam & Præsentiam seu Scientiam suam, sed etiam per Essentiam, seu Entitatem suam, sicut ego locum, in quo sto vel sedeo, per meam entitatem occupo. Cur ergo eum non revereor, & honoro? ei non obedio? omnem spem, & fiduciam meam in eo non pono? &c. Vel: in ipso (DEO) vivimus, & movemur, & sumus. *Act. 17. v. 28.* quomodo ergo possum hoc & hoc facere, & peccare in Dominum meum, in DEUM meum? Vel: DEUS omnia videt. *Eccli. 23. v. 27.* & in omni loco contemplantur oculi Domini bonos & malos, *Prov. 15. v. 3.* ergo videt me DEUS etiam hic istud & istud agentem. Scio ab Ascetis alios varios modos tradi, quibus Præsentia DEI imprimatur hominum memoriæ; sed iste per actum Fidei est omnium facillimus. Sic etiam ad præsentiam Angeli Custodis in mente habendam valde juvat, firmiter credere, quòd Angelus ex mandato DEI *custodiat te in omnibus visis tuis, ps. 90. v. 11.* simulque pro praxi cogitare, quod præsentem custodiam suam etiam bestia neminem lædant; Tu autem peccando lædas rabiosè ipsum Custodem tuum, Te ipsum, DEUM, & homines; vel: quàm stulta sit ovis, quæ cum sub tanta custodia posset esse tutissima, ultrò tamen se lupo allicienti offert dilacerandam, aut devorandam &c.

166. VI. Ad curandos animi morbos etiam valde utile judicavit S. Franciscus Xaverius, ut Confessarius exquirat ex pœnitentibus, quænam remedia & motiva adhibere vellent, si alium à simili

li vitio, quo ipsi laborant, curare deberent, dato, si necesse videatur, ad cogitandum spatio, & facta quadam directione. Ira enim medentes aliis ipsi medebuntur sibi, & sua sponte ad ea, quæ aliis suaderent, incitabuntur; vel certe facilius poterit ipsis persuaderi, ut id sibi consilii capiant, quod in tali re & tempore alteri essent daturi. *In vitalib. 6. cap. 12. circa finem.*

Pro Pusillanimitibus.

167. IX. Summo semper studio laborandum, ut pœnitens non abiciat ex pusillanimitate aliqua animum, aut spem emendationis consequendæ. Nam hoc ipso, sicut æger de sanitate desperans, vel omnino nullam amplius medicinam reciperet, vel vim ejus hæc recipientis indispositio multum impediret. Potest autem, & solet alicui suboriri pusillanimitas, vel quia ob malè actam præteritam vitam judicat se indignum misericordiâ & gratiâ divinâ; vel quia etiam post adhibitum magnum conatum videt tamen se identidem relabi. Utrique huic malo optimè consulit Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. 2. n. 150. cum seq. & ad verbum repetit in tr. de off. pœnit. cap. 19. n. 5. & 6.* Ad primum quod attinet, etsi ob innumera, eaque gravissima peccata sit alicujus indignitas quàm maxima, infinites tamen major est DEI Misericordia. Pater est, qui filios prodigos in antiquam gratiam amantissimè recipit. *Luc. 15.* Medicus est, qui venit saluum facere, quod perierat. *Matth. 18.* Pastor bonus est, qui errantes oves quærit, & in humeris suis cum gaudio ad ovile reportat. *Luc. 15.* Redemptor est, qui Mi-

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

sericordiam vult, & non sacrificium; nec venit vocare justos sed peccatores. *Matth. 9. v. 13.* ut redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum (faceretque) acceptabilem, sectatorem bonorum operum. *ad Tit. 2. v. 14.* Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? *Ezech. 18. v. 23.* Convertimini ergo, & agite pœnitentiam, & non erit vobis in ranam iniquitas. *v. 30.* Neque terrere quemquam potest, aut debet rigor Justitiæ divinæ; hæc ipsa enim stat pro omnibus, qui volunt se emendare, agiturque (quod sanè admirandum, & maximæ consolationis est) advocatam illorum apud DEUM, efficacissimè exigens, ut ad id, quod DEUS vult nos facere, det gratiam faciendi; cum sine gratia & ope divina nemo quidquam boni facere possit. Si ergo ipsa Justitia DEI peccatoribus in hac vita patrocinetur, quis illorum diffidat de Misericordia DEI? & non potius firmissimè speret, se eradicaturum ex animo, si non in momento, saltem cum tempore, omnia, quantacunque, & qualiacunque sua inveteratissima etiam vitia.

168. Simili ferè modo animari potest & erigi, quem frequens, veletiam quotidianus relapsus dejicit. Nam misericordissimus DEUS, sicut vult, ut nos fratribus dimittamus. *Matth. 18. v. 21.* ita etiam ipse paratus est nobis dimittere non tantum usque septies, sed usque septuagesies septies, hoc est, toties quoties; quia certus iste numerus est positus pro incerto. Præterea autem addi possunt seqq. I. Si tanto conatu tam fortiter, & tam frequenter proponens tam sæpe deficit; quid

N

futu-

futurum esset, si raro, aut minus fixè proponeret? 2. Qui iter facit, etsi frequenter cadat, nihilominus tamen proficit, & tandem ad optatum terminum pervenit, si semper iterum resurgat. Certè ex nobis mortalibus ferè omnes non aliter, quàm cadendo, & surgendo, imus ad cælum. 3. Relapsus hominis, contrarium aliquem conatum adhibentis, censetur esse minus gravis, & ex fragilitate potiùs, quàm ex deliberata malitia accidere. 4. permittit DEUS relapsum, ut in primis homo agnoscat se ex se nihil habere, nihil posse; & opem divinam a deo sibi necessariam ferventiùs imploret, majoremque diffidentiam sui ipsius acquirat & humilitatem. Deinde, ut DEUS, qui humilibus dat gratiam, exaltare eum possit ad tantò majorem sanctitatem in terris, & gloriam in cælis. 5. Frequens proinde relapsus esse potest, & debet occasio non tam abjiciendi, quàm suscipiendi spem de magno progressu, in via virtutis & perfectionis faciendi. Rectissimè denique 6. Reginald. *l.c.* ad pusillanimum pœnitentem consolandum: in hujusmodi certamine, inquit, non ille, qui cadit, vincitur (dummodo surgere studeat) sed qui, fugiendo arenam, pugnare desinit, aut adversario se sponte dedit.

Pro tentatis, maximè cum præsens urget tentatio.

169. X. Cùm quis ad peccatum aliquod allicitur, sive jam à tentatione, sive à propria concupiscentia, occasione, vel alio homine, sciat id non fieri, nisi tantùm per Diabolum, talibus utentem instrumentis. DEUS enim neminem tentat, *Jacob, i. v. 13.* sciat autem præterea,

hunc ipsum Diabolum fore deinde illius lictorem, accusatorem, & carnificem; qui nimirum illum postea ad tribunal DEI rapier, coram DEO de commisso peccato accusabit, petètque sibi reum tradi pœnis æternis pro digna præstite obedientiæ mercede torquendum. Quis verò jam a deo demens est, ut furtum, homicidium &c. faciat ad instinctum illius, à quo ipso scit certò, se deinde pendendum, coram Judice accusandum, & ad supplicium rapiendum?

170. XI. Quando præsens est periculum peccandi, & tentatio gravis jam actu urget, tunc enim vero vel maximè opus est validis remediis. Præscribunt DD. passim 1. ut tentatus in memoriam revocet, & singulari studio renovet Præsentiam DEI, Angeli Custodis &c. & 2. consideret, DEO, Angelis, totique Cælo se spectaculum esse in hac arena & pugna; 3. consideret, quantis clamoribus Christus è Cælo dehortetur à peccando. 4. consideret, sibi à Christo auxilium, & manum porrigi ad vincendum, 5. sibi ipse ob oculos proponat unum vel plura, vel omnia, & singula Passionis Christi mysteria. 6. consideret Christum ante se in cruce pendentem, & expansis brachiis, fauciato corde, lacrimantibus oculis, vulneribus toto corpore hiantibus orantem, ne hoc & hoc peccato cruciatum ipsius augere velit. 7. consideret infandam peccati turpitudinem, horrenda illius damna, mortem imminentem, Judicem fulminantem, apertum infernum, æterna supplicia, æterna præmia, & similia alia apud Reginald. *l.c. n. 183.* Quæ omnia sunt quidem omnino longè præstantissima; Sed quid juvant

vant ægrum pretiosa pharmaca, si ei jam in agone constituto non possint esse usui? sicut hîc sæpissimè fit; cum nimirum tentatio vel passio tristitiæ v. g. Timoris, Iræ, & maximè carnis est adeo vehemens, ut licèt usam rationis non tollat, valde tamen perturbet, reddâtque inhabilem ad instituendam seriem aliquam de rebus divinis considerationem. Qui involuti sunt naufragio, ruinæ teçti, incendio adium, hostium globo seu turmæ, non solent ita esse otiosi & collecti, ut morosæ alicui considerationi vacare possint; sed nec illi multo plus possunt, quos valde vehementes tentationes & passionis, quasi torrennes iniquitatis conturbant; quasi dolores inferni circumdant, & quasi laquei mortis præoccupant. *Pf. 17. v. 3. & 4.* Experientia docet non tantùm rudiores, sed etiam peritiores sæpe in tali versari statu, ut de iis cum veritate dici possit illud *Pf. 106. v. 27.* turbati sunt, & moti sunt (à consensu (ob tenuitatem tamen & infirmitatem non pleno) ad dissensum, mox iterum ab isto ad illum, quasi jam ad sinistram, jam ad dextram titubando) sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.

Quid ergo hic consilii? unicum ferè, certè præcipuum est, ut sicut in subitis & magnis periculis corporis quilibet ipsa naturâ dictante solet statim omnium hominum opem, & fidem inclamare; ita & in magno præsentique animæ discrimine DEUM & superos in auxilium ferventer advocemus. Neque necesse hîc est, aut tempus patitur, instituere comprecationem XL. Horarum; sed sufficit, majore tamen cordis quàm oris cla-

more, semel iterumque unam vel alteram ex brevissimis hujusmodi Oratiunculis ingeminare: *Domine adjuva me! saluum fac servum tuum Domine! Domine libera me ex hac hora! Domine vim patior; responde pro me! Domine ad adjuvandum me festina! Domine porrige operi manuum tuarum dexteram tuam! JESU bone miserere mei, & salva me! Domine ne permittas me, separari à te! Dominus meus & DEUS meus! Egone peccabo in te? non faciam hoc in æternum.* Et ita cum olim fieret in mari motus magnus, & navicula operta esset fluctibus, Christus excitatus fuit è somno, ventisque imperavit, & tranquillitatem magnam reddidit, ad unicam hanc discipulorum exclamationem: *Domine! salva nos; perimus! Matth. 8. v. 25.* Sic etiam Israëlita, quoties tribulatio urgebat, clamaverunt ad Dominum, & toties de necessitatibus eorum eripuit eos. *Pf. 106.* Ipse quoque DEUS cuilibet speranti in ipsam promisit, & *Pf. 90. v. 15.* dixit: clamabit ad me, & ego exaudiam eum, vel auferendo tentationem, vel dando gratiam superandi illam. Multùm hîc etiam proderit, si quis sententiolam aliquam ex allatis *sup. à n. 247.* peccato, in cujus præsentis periculo est, contrariam & usu quodam sibi jam familiarem aliquoties repetat. Qui autem neque isthoc remedium ampliùs adhibere potest, ille jam ultra humanæ libertatis terminos violentiæ tentationis & passionis abreptus esse videtur; vel aliàs etiam extra periculum debitam suarum & divinarum rerum memoriam curamque non habere. Ad quam proinde esset ante alia extimulandus.

171. XII. In specie autem loquendo de præfenti periculo peccandi in tentatione & concupiscentia carnis, nobis domesticâ eoque magis infestâ, videntur efficaciora cæteris esse sequentia remedia.

I. Ut quis semel, bis, terve dicat linguâ, si solus; vel mente, si cum aliis sit, hanc multis jam experimentis felicissimè probatam Oratiunculam: *Per Sanctam Virginitatem tuam, & immaculatam Conceptionem, ô Purissima Virgo, emunda cor meum & carnem meam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen.* Simulque admotâ ad pectus dextrâ efformet parvo pollicis ductu signum Crucis. Quod etiam coram aliis facilè potest ita fieri, ut nemo illorum advertat.

II. Ut mentem, animûmque ad aliam quamcumque rem obviam seriò applicet, seriò v. g. conando inire numerum regularum in aliquo tecto, litterarum in aliqua pagina, rotularum in fenestris, ramorum aut foliorum in arbore, florum in horto, vel prato, lapillorum in solo &c. Cùm enim intellectus non possit pluribus rebus ex æquo cogitandis intentus esse, hoc ipso, quòd uni rei seriò se impendat, deficit, vel etiam omnino desinit cogitatio de aliis. Noctu verò in tenebris seriò conetur in memoriam revocare, quæ ab una, vel altera septimana honestè egit, dixit &c. vel seriò cogitet de negotiis aliquibus, quæ ratione officii, statûs, vel conditionis labore majore & studio ab ipso curanda fuerunt, sunt, velerunt; modò nihil sit tale, quòd vel à longe rursus obscænum aliquid possit ingerere phantasiæ.

III. Ut sensus voluptatis tollatur per sensum doloris; quòd fieri potest variis corporis castigationibus, Sed non

omnes possunt omnibus, aut ubique esse usui, Modus optimus est, quo quisvis ubivis, etiam coram aliis, facilè possit lascivientem carnem, ejûsque pruritus compescere, si aciculâ v. g. aliâve simili parva cuspide paulò acriùs infixâ, sine periculo tamen gravis læsionis, digitum, manum, brachium, aut pectus compungat. Multùm etiam ad motus carnis sedandos juvat, mutare situm corporis; ut, si jacentem aut sedentem invadant, surgat; si stantem, obambulet, maximè gradu citatiore, vel suscipiat aliquem laborem &c. Desinunt etiam equi lascivire, si post unam alteramve circumgitationem subjectis calcaribus incitentur in cursum.

IV. Etsi cum tentationibus carnis tam parùm, quàm cum lutofo homine, luctandum sit; sed omnino quilibet, qui munditiem amat, fugere debeat; expedit tamen etiam plurimùm, ut fuga non sit mera fuga; neque recessus à malo fiat sine progressu in bono Castitatis. Quoties ergo aliquis à Diabolo infestatur tentatione carnis, ut vexet vexantem, illâ neglectâ studeat hos vel similes actus virtutum amore Castitatis exercere, dicendo in animo & ex animo

1. Doleo Domine de omnibus peccatis contra castitatem unquam commissis.
2. Offero tibi, ô JESU! in satisfactionem dolores flagellationis & spineæ coronationis tuæ.
3. Rogo te Domine, ne permittas, me sub capite spinoso esse membrum delictis deditum.
4. Utinam omnes de suis contra Castitatem peccatis etiam mecum seriò dolerent.
5. Domine custodi omnes innocentes in puritate cordis & corporis &c. Ita non tantùm defensivè, sed offensive belligeramus cum hoste

hoste nostro; qui proinde vel omnino cessat nos impugnare; vel multò rariùs & remissiùs id facit, si videt, aliud se nihil efficere, quàm ut tentando præbeat nobis semper occasionem, tot actus virtutum exercendi. Idque experti sunt non pauci. V. Cùm Dæmones sint tam superbi spiritus, vehementer horrent & fugiunt, si ipsi nos humiliemus, & illos despiciamus. Sic S. Franciscus Borgias Diabolum, qui ei, agris servienti in Xenodochio, dicebat: *Tantus cum sis, inter scurras versari qui potes?* statim instar fumi fecit evanescere hoc responso; *miror ego, quòd tu, cum tam superbus sis, me miserum dignaris alloqui.* Alius diabolum in porci specie sibi infestum fugavit, dicendo: *Ergòne ex Angelo porcus factus es miser?* Sequere igitur consilium optimum Thomæ Kemp. l. 3. cap. 6. n. 4. & cùm Diabolus mala inferit & immunda, impu: illi & dicito: *Vade immunde Spiritus! erubescere miser! valde immundus es, qui talia infers auribus meis. Dignus ego non sum, ut propter me ad tam sordida te dimittas &c.*

Pro Confessariis.

172. Denique, ut quæ ad spirituales hominum morbos curandos pertinent, quasi in unam summam recolligam, observentur seqq. documenta, ex parte jam olim à S. Francisco Xaverio, utriusque orbis Thaumaturgo, tradita, lib. 6. vita cap. 12. & 17. I. Confessarius animorum sanandorum cupidine accensus, comiter benignèque excipiat confitentes, nullam se veritatem, sed omnem facilitatem ostendendo, sicut in initio, ita & in decursu, ut spiritualis Medici benignitas pellat eos ad omnia conscientia: suæ vulnera

sincerè aperienda. II. Cùm non omnino nulli sint, qui pudore impediti quandoque commissa scelera majore scelere supprimant, salubri confessionis remedio in perniciem verso; idcirco adversus extialem hanc verecundiam omni ope & arte certari debet. Expediùs autem via id fieri non potest, quàm cum magna charitate ostendendo, se paratum ad illum quàm optimè juvandum, extenuando peccata (jam fortè dicta) ob fragilitatem naturæ, ob vehementiam passionis, tentationis, occasionis &c. extollendo infinitam DEI Clementiam & Misericordiam; dicendo, se nôsse longè graviora peccata, quàm ipse possit afferre; proponendo exempla eorum, qui ex gravissimis peccatoribus facti sunt magni servi & amici DEI, ut S. Augustinus ex hæretico & fornicario, S. Cyprianus ex Mago, & venefico, S. Theophilus ex mancipatu Diaboli, S. Moyses ex latrone &c. S. Maria Magdalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Thais, S. Pelagia &c. ex mancipatu Veneris &c. inter quos etiam ipse, si ritè confiteatur, esse possit; dicendo, se quoque peccatorem esse, & majora commissurum fuisse, vel adhuc esse, quàm ipse habeat, nisi DEUS singulariter custodire voluisset, aut adhuc velit. cit. cap. 17. III. Post morbum per sinceram & integram peccatorum confessionem cognitum exploranda est etiam pœnitentis voluntas & facultas. In voluntate enim, si non sit, debet primò accendi fervor suscipiendi seriam curam suæ salutis. Viribus quoque sic sunt attemperanda remedia, ut iis nullus obruatur, vel deterreatur. Quod si Confessarius putet, suâ operâ aliquem constantiùs usurum, neque tamen satis esse

esse robustum ad ea, quæ morbi gravitas requirit, perferenda; tunc initio tentet levioribus circuminora. Et hæc si feliciter succedunt, paulatim progrediatur ad majora. IV. si parata jam sit voluntas pœnitentis, ejusque vires sufficientes, tunc quæcunque videntur esse necessaria, sunt animosè præscribenda. Ex pluribus tamen morbis, quibus fortè aliquis laborat, quia non potest omnibus simul & semel suum remedium utiliter adhiberi, curandus est ille præcipuè & primò, qui cæteris gravior, periculosior, & plurimum esse causa videtur. Illius quoque radix, ad quam securis ponatur, investiganda; & esse potest vel externa, ut occasio, societas, tentatio &c. vel interna, ut naturalis complexio, passio animi seu concupiscentia, habitus malus seu consuetudo ex frequentatis actibus contracta &c. cumque hæc omnia ad unum vel plura ex peccatis capitalibus inclinent, eadem contra illa, quæ contra ista juvare possunt remedia *sup.* allata; occasio tamen, & societas etiam fugienda est, si possit. V. Qui non tantùm ad bene, sed etiam ad perfectè vivendum adducere vult aliquem ex suis pœnitentibus, debet, cum aptius medium non sit, omni modo eniti, ut illi iste omnes suas tentationes animique motus sincerè & confidenter aperiat. Hoc autem non assequetur Confessarius, nisi erga suum pœnitentem fuerit benignior quàm severior; quia severitas fiduciam tollit, facitque, ut discipulus multa reticeat, levius ratus, insidias Diaboli, quàm acerbiter Magistri subire. VI. Quia morbi spirituales, sicut & corporales non semper primo die, aut sumptâ semel medicinâ curari possunt, sed tem-

pore indigent; ideo Confessarii non minus, quàm Medici, magnâ longâque patientiâ opus habent, maximè si morbus, jam ferè domitus, ut sæpius fieri solet, per infirmi culpam recrudescat. Optimè Petrus Chrysol. *serm.* 50. Medicus, inquit, qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem.

173. Praxis eorum, quæ in isto & præced. Art. explicata sunt, potest juxta Reginald. *lib.* 2. n. 197. esse hæc. I. Iis, qui sæpius & rectè confitentur, ac noti sunt, satis est, post auditam eorum confessionem, injungere pœnitentiam; nisi fortè aliquid vel pro remedio ad defectus quosdam vitandos, vel pro consolatione, exhortatione, aut instructione videatur esse addendum. II. Qui sæpius confitentur, sed minùs rectè, ob aliquem defectum examinis, doloris, propositi, non satis expressi numeri aut speciei in peccato mortali &c. juvandi sunt ea in parte, in qua deficiunt, prout spectatis personarum & temporis circumstantiis videbitur. III. Qui rariùs confitentur, sed rectè & diligenter se discussisse videntur, non sunt interrogationibus onerandi, nisi de eo ex necessariis, quod, cum constet esse commissum, hic & nunc tamen esse omissum, vel non sufficienter expressum; vel de eo, quod scitu necessarium est ad media emendationis aptius præscribenda. IV. si aliqui in sua confessione ostendunt debitam diligentiam prævi examinis, sufficientem dolorem de præteritis, & firmum propositum in futurum, Confessarius non habet, quàm ut eos in suo sensu cum spe veniæ confirmet, consoletur, & ad emendationem aliquid subsidii conferrat,

rat, vel ad profectum spirituale, cum peculiariter egere censebuntur.

ARTICULUS IV.

De obligatione Confessarii errores suos in Confessionibus audiendis commissos corrigendi.

174. Ad rectè atque utiliter Confessarii munus obeundum, maximo adjumento esse potest datum à S. Francisco Xaverio, & lib. 6. vitæ cap. 17. in fine descriptum monitum, ut Confessarii nimirum post auditas à se confessiones sumpto spatio in easdem inquirant, & intentius videant, an & quid in delictis aliorum expiandis ipsi deliquerint, ut quæ in alienis peccarunt, confessionibus postea expient in suis; eaque delicta non tantum in posterum vitare; sed etiam, quod addendum est, commissos errores, si adhuc possint & debeant in iisdem corrigi, magnâ studeant corrigere diligentia.

Possunt autem errores intervenire varii, qui omnes ad tres classes communiter à DD. reduci solent. Nam 1. aliqui sunt, per quos Sacramentum redâitur irritum; cum Confessarius vel omnino non absolvit, vel invalidè. 2. Aliqui sunt, per quos damnum infertur tertio, vel pœnitenti; quando Confessarius hunc ad restitutionem non obligat, cum deberet; vel obligat, cum non deberet. 3. Aliqui sunt, per quos integritas tantum confessionis læditur; cum Confessarius de numero tantum, aut specie peccatorum non inquirat, vel pœnitentiam seu satisfactionem non præscribit, aut debet. Hujusmodi porro errorum committere potest Confessarius, vel cum peccato mortali & ex malitia, vel sine peccato mortali

ex sola oblivione, ignorantia moraliter inculpabili. De quibus jam ordine

§. I.

De errore invalidante.

175. Itaque I. Si Confessarius à censura tantum non absolvit pœnitentem, tunc quando errorem advertit, & si quidem fuit reservata, etiam facultatem obrinuit, debet postea absolvere, ne diutius privatus sit suffragiis Ecclesiæ. Potest autem etiam absentem, & jam iterum lapsum in peccatum aliquod mortale absolvere absque ulla alia monitione; quia à Censuris potest aliquis etiam absens, in mortali constitutus, ignorans, imò & invitatus absolvi. Bonac. tom. 1. Diss. 5. q. 7. p. 6. n. 1. Coninch. de Sacram. Diss. 8. n. 141. & alii communiter.

Aliud est de absolute à peccatis. De eo ergo, qui aliquem vel omnino non absolvit à peccatis, vel tantum invalidè, statuunt DD. communiter sequentia. I. Confessarius si non multò post advertat, cum pœnitens adhuc est, vel non multò post iterum fit moraliter præsens v.g. in accessu ad Sacram Communionem, vel alibi, debet illum tunc absolvere; quia debet sacramentale Judicium, quod captum est, perficere; & pœnitenti jus suum per confessionem acquisitum ad absolutionem & gratiam sanctificantem tribuere.

II. Idem est, si Confessarius errorem advertat, vel pœnitentem habeat sibi iterum moraliter præsentem post aliquot horas aut dies; modò non post tot, ut confessio & absolutio non censeantur amplius facere unum totum morale. Neque necesse est pœnitentem præmonere de errore;